Quelle: https://manuscripta.at/?ID=25878
Copyright: Admont, Benediktinerstift

19 v

hereticos anathematizauerunt. et orthodoxam fidem explanauerunt. Soluta est hec synodus constantini .xuii. anno. Post .iiii. uero aut .v. annos idem sancti patres congregati sunt sub iustiniano filio constantini. et predictos canones promulgauerunt. de quibus nullus dubitet. Qui enim sub constantino in synodo fuerunt. idem ipsi sub iustiniano istis canonibus subscripserunt. Oportebat enim ut synodus uniuersalis canones ecclesiasticos promulgaret. Item sancta synodus .vi. post promulgatam ab ea diffinitionem contra monoscelitas [.i. unius scilicet hominis] constantino imperatore. qui eam congregauerat. non post multo defuncto. iustiniano filio eius regnante pro. eadem sancta synodus diuinitus inspirata. iterum constantinopolim .iiii. aut .v. anno congregata est. et canones numero .c.ii. ad correctionem ecclesie promulgauit. § Ex his colligitur quod .vi. synodus bis congregata est. primo sub constantino. et nullos canones constituit. Secundo sub iustiniano filio eius. et prefatos canones promulgauit. Unde sancti patres in eadem synodo congregati dixerunt.

Constitutiones .vi.te synodi.

Quoniam sancte et uniuersales synodi. sexta sub iustiniano augusto. quinta sub constantino [patre tuo] augusto. de misterio fidei plenissime disputantes canones non fecerunt. sicut cetere .iiii. uniuersales synodi. propterea nos conuenientes in hanc imperialem urbem sacros canones conscripsimus. Item placuit huic sancte synodo ut amodo confirmata et rata sint canonum apostolorum .lxxxv. capitula. Item confirmamus et ceteros sanctorum canones et synodos .i. nicenam ancyritanam. neocesariensem. gangrensem. antiochenam. laodicensem. constantinopolitanam. ephesinam primam. calcedonensem. sardicensem. et cartaginensem. et opuscula Theophili alexandrini episcopi. et dyonisii alexandrini episcopi et martiris. et beati gregorii strinathai neocesariensis episcopi. athanasii alexandrini episcopi. Basilii cesarie cappadocie episcopi. et beati gregorii niseni episcopi. beati gregorii theologi. antiphilogii episcopi yconiensis. tymothei alexandrini episcopi. germani constantinopolitani episcopi. cyrilli alexandrini episcopi. cypriani cartaginensis episcopi. et synodum suam. § Item ex libro diurno professio romani pontificis.

Sancta .viii. concilia auctoritate romani pontificis corroborantur.

Sancta octo principalia concilia. primum nicenum. constantinopolitanum. ephesinum. calcedonense. quintum et sextum. item constantinopolitanum. [item] .vii. Item nicenum. .viii. quoque constantinopolitanum usque ad unum apicem inuiolata [l. inmutilata] seruare. et pari honore et ueneratione digna